

admodo ad nostram materiam reuertemur. accidit enim quod iste rex caydu cum suis consanguineis quorum unus nominabatur Josudar congregauerunt magnam quantitatem gentis & iuerunt supra duos barones magni dominij qui erant consanguinei caydu regis. set eorum terram manutenebant per magnum dominum. unus quorum uocabatur cibay alter uero caban. & nepotes fuerunt çagathay qui
108v^o fuit xpistianus | baptizatus. & frater germanus magni domini cublay Iste quidem caydu cum istis duobus consanguineis suis qui etiam magnas gentes habebant ita quod fuerunt ab utraque parte circa centum milia equitum qui inuicem acriter belauerunt & ab utraque parte multi fuerunt occisi. set finaliter rex caydu belum obtinuit & magnum dapnum illis gentibus intulit. set predicti duo fratres germani euaserunt absque ullo impedimento personarum qui erant consanguinei caydu regis quoniam ualde bonos equos habebant. Taliter quidem caydu rex belum obtinuit de quo multum se extoluit & cum obtinuisset istud prelium ad suam patriam remeauit & permansit in pace bene per duos anos in quibus non fecit prelium neque congregauit exercitum & etiam magnus dominus in toto illo termino non fecit exercitum neque gueram Accidit enim quod in capite duorum annorum rex caydu magnum exercitum congregauit ita quod habuit magnam equitum quantitatem. sciebat enim quod caracoran erat filius magni dominij qui nominabatur Nomogan. & cum ipso erat Jorgius filius filij presbiteri Johannis. & isti uero duo barones habebant etiam magnam gentem equitem Et cum rex caydu gentem suam congregasset cum to[to] suo exercitu a regno suo discedens iter arripuit & tantum equitauit quod peruenit prope caracoram ubi predicti
109r^o barones cum | magno exercitu permanebant & cum istj duo barones uidelicet filius magnj dominj. & filius filij presbiteri Johannis sciissent qualiter caydu in eorum patriam uenerat cum tanta gentis multitudine causa belandi cum ipsis. statim se cum suis gentibus parauerunt que erant bene circa sexaginta milia equitum. Et cum preparati fuerunt arripuerunt iter & contra suos inimicos iuerunt. & tantum equitauerunt quod peruenerunt prope locum ubi erat rex caydu per decem miliaria. & ibi statuerunt campum Et rex caydu in illa eadem planicie erat cum tota gente sua. utraque quidem pars se preparauit quam melius potuit causa preliandi In tercia uero die scilicet postquam filius magni dominj & filius filij presbiteri Johannis illuc uenerant in mane tempestiue utraque pars se muniuit & preparauit. quam melius potuit aliqua prerogatiua quasi ab ula parte gentis non erat Quoniam aliqua pars non fuit que non haberet circa sexaginta milia equitum qui erant bene muniti sagitis ensibus clauis & clipeis. & utraque pars suas acies ordinauit que erant sex. in singulis quarum erant boni & optimi conductores Et quando iste due partes preparate fuerunt & nil prestolabantur aliud quam sonitum Nacherarum quia tartari non audent